

H. Germ. 402
441 (19)

SPECIMEN
PARŒMIARUM
HISTORICARUM
AD RES GERMANIÆ ILLU-
STRANDAS COMPARATARUM,

Quod

ex publicis Prælectionibus

DN. IMMANUELIS WEBERI,
Consilarii Hasso-Darmstadini, Jurium-
que ac Historiarum Professoris Publ.

Ordinarii,

PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI HONORIS
ATQUE OBSEQUII CULTU ÆTERNUM
PROSEQUENDI,

collectum,

eodem Præside

in Alma Ludoviciana examinandum sistit

D. XXIX. Octobr. A. c15 15 ccxvi.

MARCUS CHRISTOPH. Weiler/
DARMSTADINUS.

GISSÆ-HASSORUM,

Typis JOANNIS MULLERI.



5u. Germ.

99(11)
2

Part II.

L. Germ. 38 (20)

PHYSICUM
PARADOXARUM
HISTORIARUM
AD REA GERMANICUM
STRANDES COMPARATUM

1704

DI. IMMANUELIS WILHELMI
CANTONIS HILFIS DANIBERGII JUNIORIS

PHYSICUM
PARADOXARUM
HISTORIARUM
AD REA GERMANICUM
STRANDES COMPARATUM

PHYSICUM
PARADOXARUM
HISTORIARUM
AD REA GERMANICUM
STRANDES COMPARATUM

PHYSICUM
PARADOXARUM
HISTORIARUM
AD REA GERMANICUM
STRANDES COMPARATUM

SUMME REVERENTIAE
MAGNIFICO,

DOMINO
JOANNI CHRISTOPHO
WESSELE

DAVID
THEOLOGO CONSUMMATISSIMO,
CONSILIARIO, STATUS ECCLESIASTICI
HASSO DARMSTADINI SUPREMO,
FACULTATIS THEOLOGICAE PROFESSORI,
ATQUE
CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSESSORI
PRIMARIO,

DISTRICTUS GIESSENSIS SUPERINTENDENTI
VIGILANTISSIMO,
THEOLOGO DE ECCLESIA ET RE LITERARIA
LONGE MERITISSIMO,

in
DN. PATRONO ATQUE MAECE-
NATI SUO, FILIALI OBSERVANTIA
CULTUQUE DEVENERANDO.

BILISSIMO ATQUE
AMPLISSIMO,

AVIDI Schakmann /
JCTO,

NCELLARIÆ IMMEDIATI S. R. I. EQUESTRI
ORDINIS AD MEDIUM RHENUM IN CASTRO
FRIDBERGENSI CONSILIARIO ATQUE
SECRETARIO BENE MERI-
TISSIMO,

DN. PATRONO SUO ÆTATEM

DEVENERANDO;

NEC NON
VIRO PLURIMUM REVERENDO,

DN. GEORGIO MATTHÆO

Weiler /

ECCLESIAE, QUÆ EST BOPFFINGÆ, PASTORI
PRIMARIO FIDELISSIMO,


PARENTI SUO CHARISSIMO HONORATISSIMO QUÆ

In perpetuæ venerationis ac obedientiæ
tefferam, studiorumque suorum ulteriorem
promotionem

*Primitias hasce levidenses studio-
rum Academicorum*

pie, decenter atque humillime offert,
dicat, dedicatque

MARCUS CHRISTOPHORUS Weiler.



PAROEMIA I.

MOGUNTIA AB ANTIQUO NEQUAM.

Maynz ist ein Schalck voll alter List.

MOnui in præcedente *de Paræmiis* Dissertatione, quod, tametsi de Paræmiis Historicis Germanicis agere propositum sit, tamen sub istis eas etiam comprehensas velim, quæ alio quovis idiomate expressæ inveniuntur, dummodo ad rerum Germanicarum illustrationem aliquid conferant. Huc igitur cum spectet nostra præsens, ut vicina vicinis, Hassiacis Moguntina jungamus, in istam inquirere volupe fuit. Extat ea apud Cuspinianum, in *Vita Ruperti Palatini, cognomento Parvi, pag. 488.* Büntingium, *Chron. Brunsvic. pag. 266.* Frider. Hildebrandum, *Synopsi Histor. Universal. ad An. MCCCC. pag. 221.* ut alios taceam. Paræmiam hanc in lapide ante fores Templi Cathedralis Moguntini posito repertam ferunt, de quo Cuspiniani verba recensebo: *Ferunt, inquit, incolæ, repertam ante fores templi Moguntini lapidem, cum majusculis inscriptum literis: MOGUNTIA AB ANTIQUO NEQUAM; effossâ terrâ frustra, nullo reperto thesauro.* Nicolaus Serarius aliam de hoc lapide relationem dedit; scilicet *MAGUM quendam, nomine NEQUAM, Moguntina Urbis prima quasi jecisse fundamenta, grandeque saxum defodisse, cujus in parte superiore inscriptio fuerit: Verte &*

A

inve-

invenies : *in inferiore autem* : Moguntia ab antiquo nequam, i. e. ab antiquo illo *Archi-Mago*, cui Nequam nomen, ædificata est. Fuisse igitur avaros quosdam, qui, cum sub eo lapide thesauros latere ingentes putarent, eum ipsum everterint, nihilque præter inscriptionem, veteris exstructoris testem, invenerint. *Rer. Mogunt. Lib. 1. cap. 5. pag. 16.* Res, quod lapidem attinet, tota suspecta meritò habetur. Certe in *Collectaneis Antiquitatum in Urbe atque agro Moguntino repertarum*, atque A. MDXX. à Joh. Huttichio editarum nihil de eo videas (*). Negari tamen nequit, vete-

(*) *In Collectaneis Antiquitatum &c.*) Liber Huttichii cum sit rarissimus, & dignus, ut in recudendo eo sumtus faciat Bibliopola aliquis, lubet ex eò nonnulla excerpere.

I. JO. SCHOEPPFER BIBLIOGRAPHUS. IN
ÆDIBUS SUIS. SARCOPHAGUM HABET.
HAC INSCRIPTIONE.

L. SPERATI. DESIDERATI. ADVLESCENTIS. SPEI. ET. PIETATIS. INCOMPARABILIS. SPERATI. HERMODORVS. ET. JULIANA. PATRES. MALE. IVDICANTIBVS. FATIS. SVPERSTITES. POSVERVNT.

II. SARCO. EST IN ÆDIBVS ZVM
SCHILTKNECT.

VICTORIO. CASSIANO. VET. LEG. VII. QVI. VIXIT. ANN. LV. VICTORII. CLEMENTINVS. ET. VICTORINVS. ET. SENEACIONIVS. IVLIANVS. FILII. EIVS. PERVICTORIVM. HERMETEM. LIBERTVM. EIVS. PATRI. PISSIMO. F.

III. APVD

veterum Moguntia Praefulum nonnullos rem ita male
geffisse,

III. APVD D. ALBANVM REPERTVS
SARCOPHAGVS.

SEQVENTIA. FAVSTINÆ. CONIVGI. SAN-
CTISSIMÆ. ET. DVLCISSIMÆ. QVÆ. VIXIT.
ANNIS. XXXVII. M. III. SARCOFAGVM.
IVSSV. IPSIVS. F. FLAVIANVS. AVENTI-
NVS. DEC. ALÆ. INDIANÆ. CONIVGI.
INCOMPARABILI. F. C.

IV. IN MÖNTE DIVI STEPHANI. ÆDES ZVM
SAMPSON HABENT.

PEREGRINIO. HELIODORO. CONSVMMA-
TÆ. PERICIA. F. MEDICO. ET. MIRÆ.
PIETATIS. IUVENI. COMINIA. FAVSTINA.
MATER. INFOELICISSIMA. F. C.

V. IN MONTE DIVI STEPHANI, ÆDES QVÆ
PROXIMÆ SVNT AD SAMPSONEM
HABENT.

LICINIO LICINIANO B F. COS. SÆCVLA-
RIA. SEVERINA. CONIVNX. F. C.

Speciminis locô nunc ea sufficient ; forte dabitur occa-
sio , ut reliqua etiam antiquitatis monumenta ab Hutti-
chio collecta cum erudito Lectore communicem. Unum
adhuc sicco pede præterire non possum. Scilicet mo-
lem , Glandis nomine vulgò notam , den Eichelstein /
depictam exhibet, cum hac ad Lectorem epistola. *Hanc
molem promiscuum hac tempestate vulgus GLANDIS
LAPIDEM vocare solet , à figura scilicet , quam hodiè
præfert ; nam habuisse olim pyramidis figuram complures
sunt , qui opinentur. Altitudinem habet centum pedum , &
planitiem in cacumine pedum octo , ex quò colligi facile pot-*

gessisse, & astutiâ artibusque non laudabilibus tantam
labem

est, altiorem aliquanto eam fuisse. Basis ejus in circuitu patet C. XXXII. pedes. Cujus autem honori exstructa quondam fuerit, nulla litera extant, quae indicarent; extitisse tamen tanti operis titulum aliquem, sed demolitos esse quosdam inerudito ante saeculo dubitandum non est. Sunt, qui conjecturâ ducti, monumentum Aurelii Alexandri, Imperatoris Romani, Mammae F. putent, hoc fortasse, quod Eusebius Caesariensis refert in Chronicis, Alexandrum occisum Moguntiaci tumultu militari; quodque ab Aelio Lampridio Historico scribitur, Alexandrum cenotaphium in Gallia, Roma sepulchrum amplissimum meruisse; unde & illud quoque adjiciunt, Moguntiam nostram Germania tum atque Gallia caput fuisse. Caterum constans & communis ferè existimatio omnibus est, DRUSI id esse monumentum. Ejus rei Eutropius & Otho Frisingensis Episcopus testes sunt locupletissimi; utriusque verò sententiae in Libro quodam suorum Amorum subscribit Chuonradus Celtis, Germanus, primusque inter Germanos poeticam Lauream meritus. Hic, ut præter poeticam virtutem nullum non discipline genus attigit: ita rerum Germanicarum exactissimus fuit pervestigator. Omnes in omni Germania angulos excussit, vetustatis inquirenda studiò, nec nullus est Germania locus, quem non terrâ marique adierit. Hunc plerique eorum, qui docentem audierunt, sciunt de rebus Germanicis volumen scripsisse, quod, incertum quâ vel hominum vel deorum iniquitate, ceteraque ejus permulta desyderamus. Ille igitur, ut erat vir integrâ fide, in carmen suum haudquaquam inseruisset, DRUSI id esse monumentum, nisi planè cognitum perspectumque habuisset. Bene vale, quisquis hac leges, & si quid novisti rectius, Candidus imperti. Videri etiam de hoc Glandis Lapide possunt Nicol. Serarius, Rer. Moguntiac. L. 1. c. 15. quamvis Huttichii nullam fecerit mentionem; & Tenzelius, Monatl. Unterredungen ad A. MDCXC.
Mens.

labem sibi attraxisse, ut ansa dicitur huic inde nata videatur (**). Quid enim, si vel solum *Hattonem I.* cogitemus, de quo Nic. Serarius, quod acutum quidem haberit ingenium, sed ita, ut uno astutiori facto (***) magnam nomini suo securim apud omnes inflixerit. *Rer. Moguntiac. L. IV. p. 670.* Quid si *Hattonis II.* in pauperes duritiam? quam licet in dubium vocet Serarius, *l. c. p. 692. seqq.*

A 3 non

Mens. April. p. 370. seqq. ubi p. 371. imprecationem illam notissimam hominum male moratorum: Daß dich der Drufß hohle / cum Autore *Monumenti Moguntia obvi.* de Nerone Claudio *Druso*, cui id exstructum est, intelligendam existimat. Sed perperam sine dubio; siquidem, ut ad vulgus provocem, non ita, sed aliter, sic videlicet habet: Daß dich die Druse hohle / oder anßomme. Neminem autem latet, die *Druse* morbi genus esse, quod glandulam, panum, carbunculos, bubones, adenes, alii aliter exprimunt.

(**) *Ansa inde nata videatur.*) Sanè Cæsar. Heisterbachiensis refert de Clerico quodam Gallico, qui Parisiis dicere solitus fuerit: omnia credere possum, sed vix illud, quod unquam aliquis *Alemannia* possit salvari; quia penè omnes utrumque habeant gladium, spiritualem videlicet & materiale; &, quia de sanguine judicent, & bella exercent, unde magis eos sollicitos esse oporteat de stipendiis militum, quam de salute animarum sibi commissarum. *Miraculor. & Historiar. Memorab. L. II. c. 28. p. 91.*

(***) *Uno astutiori facto*) Quale illud factum sit, sine prolixa investigatione constare poterit, si *Ottonem Frisingensem*, *L. VI. c. 15.* *Marianum Scotum*, *Chron. ap. Pistor. Scriptor. rer. German. Tom. I. p. 446.* *Sigfrid. Presbyterum*, *ibid. p. 688.* *Sigebertum Gemblacensem*, *ibid. p. 575.* aliosque allegatos, in *der Teutsch. Europ. Staats-Historie* / sub *Ludovico III. Imperatore*, p. 68. seq. evolvere placeat.

non tamen omnis fides Tritheimio, Centuriatoribus, aliisque Scriptoribus simpliciter detrahenda est, licet, quæ de Hattone à muribus consumto commemorantur, fabulam redolere facile concesserim. Quid, si *Adelberti* adversus *Heinricum V.* Imperatorem machinationes (***) & astutiam, quâ Imperii Insignia *Friderico*, *Sveviæ Duci*, è manibus excussit (***)? Quid, si audaciam *Gerhardi*, qui *Alberto Austriaco* Imperatori inter venandum in faciem dicere non erubuit: *id sibi facile esse, ut, Albertô depositô, alius Imperator eligeretur.* *Aventinus, Annal. Bojor. L. VII. p. m. 453. Staats-Historie | in vita Alberti Imperat. p. 209. (****)* Quid si *Adolphi I.* inquietum & in novas res avidum ingenium? Cui militi potius, quàm Episcopo, in primitiva Ecclesia non viso, gladius præ pallio placuit; *Hermanni, Hassiæ Landgravii (*****)*, infensissimo hosti, ut in proverbium iverit:

Fin

(***) *Adelberti machinationes.*) De his vide *Serarium, l.c. p. 802.* cujus hæc sunt verba: *Nova inter Pontificem & Imperatorem Heinricum V. Ecclesiam & Regnum exorta turba. Quarum inprimis particeps fit Adelbertus noster.*

(****) *Astutiam, qua Imperii Insignia Friderico excussit.*) Narrat de eâ *Alb. Kranzius, Saxon. L. VI. c. 1. Staats-Historie | p. 141.*

(*****) *Id sibi facile esse &c.*) *Adlsreiter* ita refert: *Moguntinum quid promissa abs Alberto pecunia exigentem, non fuisse auditum, & offensum repulsâ, suspensô de cervice corau venatoriô, inter Aulicos jactasse: plures se gestare in eo cornu Cæsares, & cum dicto se proripuisse ex aulâ. Annal. Bojic. part. 1. L. 25. p. 667.*

(*****) Notandus hic est error *Serarii, Rer. Mogunt. L. V. in vita Adolphi, p. 863.* qui pro *Hermannno Hartmannum* posuit. *Nuspian* enim hoc nomine *Hassiæ Landgravius* in *Genealogia*

Ein Sprichwort ward: Bischoff Adolph
Der beisset um sich / wie ein Wolff.

ut̄i habetur in Chronico Hassiaco MSto, rhythmis Germanicis, incerto autore, conscripto. Mirum ergò videri non debet, si ob hæc & similia, quorum plura facili negotio adduci possent, veterum Prælulum Moguntinensium facinora, ipsa Moguntia malè audire cœpit. Tum verò maximè in notitiam hominum venit, vel revocatum fuit istud, quod commemoravi antehac, dictorium, cum electus in Imperatorem Fridericus, Brunsvicensium Dux, A. MCCC. Francofurto domum redux non longè à Frizlariâ occideretur. Id, instinctu Archi-Episcopi Moguntini, *Johannis II.* ob veteres inimicitias, ab Heinricho, Comite W. arcis Ruffenbergensis tum Præfecto, factum, communis vox atque fama ferebat; & confirmat inter alios Cuspinianus, in Vita Ruperti, l. c. p. 488. ex quò, ad paroemiam spectantia hæc referre liceat. *Mox*, ait, *ob*

logia reperitur. Et putidum mendacium est, quod ex MSto quodam subjicit, *bello fregisse Hassia Landgravium Hartmannum, adeo, ut hic, tanquam Ecclesia illius vasallus & Marschalcus, Frizlaria propriis manibus, in equorum pabulum, avenam publicè dimensus sit.* Contrarium enim Annales nostri testantur, & de compositione belli istius hæc refert Autor MSti anonymus, modò laudatus:

Auf daß man nun der Feind abkähm /
Und das Land nicht mehr Schaden nehm;
Landgraf Herman versprechen thut
Wohl zwanzig tausend Gulden gut
Zu Mainz dem Erzbischoff zur Hand /
Und setzt ihm ein zum Unterpand
Ziernberg / Wolffhagen / Grebenstein /
Hierauf sie abgezogen seyn.

ob hasce insidias Friderico illatas cavillum hoc sculptum quidam circumtulerunt, licet alii alias adferant fabulas. Circumferuntur rhythmus vulgares, non admodum Latini ac elegantes, sed facti veritatem exprimentes, ac syllabis quibusdam nomen Friderici notantes, ejusdem sepulchro inscripti. Sunt autem tales:

*Regula non ficta; nequam Moguntia dicta;
 Germani Pilati nunc denuò vivificati;
 Sicut, dum vixit, iterum Christum crucifixit.
 Namque Ducem stravit Fridericum, qui quasi David
 Brunsvig protexit, gentemque suam benè rexit;
 Transtulit ad Christum Republica dicitur istum;
 Pro quâ perrexit Francfurt. Heu tunc sibi texit
 Traditio vestem, qua mortis postea testem
 Nequiter inflixit; prope Frizlar vulnera fixit
 Heu, heu, heu mille; miles validissimus ille.
 Sternitur ipse fugâ, qui sapius ardua juga
 Belli contrivit; spes est, quod in aethere vivit,
 Nunc jacet in cryptâ, de quo sunt talia scripta:
 FRE. fremit in mundo. DE. deprimat alta profundo.
 RI. rigidum flectit. CUS. cuspide mucroque plectit.
 Vivat ut in caelis Dux inclytus ille fidelis,
 Optet ei quisquis, qui scriptis condolet istis.*

Apud Engelhusium, in Chronico, loco quatuor ultimorum versuum, sequentes duo reperiuntur:

*In Pentecostes profesto sava per hostes
 Ingerit hic mors se, post M. monos & quatuor C.*

Quibus etiam duos alios subjungit:

*Est morti deditus de Brunsvig Dux Fredericus,
 Vigiliâ Festi pentaque die Bonifaci.*

ap. Illustr.

ap. Illustr. Leibniz. Scriptor. Rer. Brunsvicensis. Tom. II. p. 1137.

Büntingius l. c. ita Germanicè vertit:

Ein gewisse Regel dieses ist /
 Mainz ist ein Schalck voll böser List;
 Pilatus Arth die hängt ihr an /
 So nichts / denn Christum creutzgen kann;
 Den frommen Herzog Friederich
 Hat Mainz erwürgt unredelich;
 Der doch / wie David / seine Stadt
 Braunschweig so wohl beschützet hat.
 Löblich regieret er sein Land /
 Nunmehr aber in Gottes Hand;
 Das wünschet ihm das ganze Reich /
 Für welchs er ritte willigleich
 Ben Franckfurth / als er ward ermannt /
 Da ihm so gar ist unbekannt
 Gewesen dieß Verrätheren /
 Bis daß er ward gebracht herben
 Ben Friblar / da er ward verwund /
 Daß leider! fiel zur selben Stund
 Ach leider! der sehr löblich Held /
 Der nie gewichen aus dem Feld /
 Sondern behalten stets den Sieg /
 Der mußte fallen ohne Krieg;
 Doch lebt er nun in Gottes Thron /
 Sein Leichnam aber ruhet schon
 Unterm Gewölb in seinem Grab /
 Von ihm dir dieses Reimlein hab:
 Fried hielt er mit Ernst in dieser Welt /
 Richtig hat er alls angestellt;
 Friedsam er macht / was storrig war /
 Richten wird Gott sein Tod fürwar.

B

Gott


Gott geb ihm Himmels Herrlichkeit /
 Dem Fürsten weit berühmt und breit ;
 Denn ers wohl werth gewesen ist /
 Daß ihm solchs gönn' ein jeder Christ.

Botho, in *Chronico Brunsvicensi picturato*, eadem illam hisce verbis exprimit: *Hertoge Frederick vart dot gestecken, unde dat schach by Frysseler in dem Pinxavende, in Sunte Bonifacius Dage, unde vart to Brunsvick begraven in den Dom. Dut halp de Bischopp to Menze vorraden, unde upp dem Rede vvas midde ein Greve to Waldecke, unde de den Hertoghen morde, dat dede ein Ritter, geheten van Hartingshusen.* ap. Leibniz. *Tom. III. p. 393. Conf. ibid. p. 48.* Rem omnem, ut fabulam vel commentum explodere studet Serarius, *l. c. L. V. in vita Johannis II. p. 868. seqq.* quem tamen refutavit Meibomius, *Dissert. de Friderici, Ducis Brunsvic. Electione; Opp Historico, Tom. III. p. 442.*

Litera Electoris ad Argentoratenses, quibus se immunem ab illa cæde declarat, extant in *Actis Depositionis Wencéslai, p. 53.* Inquirenda hæc fuerunt ex antiquitate, quod Historici officium est; ut tamen, de quo solemnissimè protestor, nihil indè detrahatur piis, egregiisque Ecclesiæ Moguntiacæ Archi-Præsulibus & Antistitibus, quos plurimos habuit, maximè seculo proximè elapso, *Johannem Svicardum*, ex Illustri Cronbergiorum Gente; *Johannem Philippum*, ex Schönborniis, *Lotharium Fridericum*, ex Gente Metternichiâ, *Damianum Hartardum*, ex Leyanis; *Anselmum Franciscum Fridericum*, Baronem ab Ingelheim; & adhuc habet per DEI gratiam *Eminentissimum, atque Celsissimum Dominum, DN. LOTHARIUM FRANCISCUM*, in salutem Imperii omnes curas cogitationesque sollicitè atque laudabiliter impendentem.

Quem-

Quæmadmodum etiam ipsius Moguntiaæ dignitati per probrosum illud, modò expositum scomma nihil vel potest vel debet decedere; utpote quæ ob Cathedram Archi-Episcopalem inter Archi-Episcopales sedes præ reliquis Cis-Alpini Imperii valdè insignis atque excellens fuit, & à Rheginonis Continuatore *regia Civitas*, atque *Franconia metropolis*; ab Autore autem Annalium Pithœanorum *totius Germania metropolis* adpellatur. Vid. Spener. *Art. Heraldic. L. I. c. 64. p. 265.*



PAROEMIA II.

JOHANNES IMBERBIS.

Hans ohne Barth.

IN Misnia tristissimum hoc est proverbium, ut juvenem imberbem, Hans ohne Barth / per jocum appellant. Miranti, cur imberbes hęc, non æque alio nomine, veniant, & causam sciscitanti multoties responsum fuit; id inde venisse, quod *Johanna Papissa* in variis scriptis *imberbis Papa*, *Pabst ohne Barth* / salutetur. Sanè Johannes Pierius Valerianus, in *Oratione pro Sacerdotum barbis*, postquam de eo conquestus est, quod per & propter rasitationem barbarum confusà quodammodò specie difficulter vir à fœmina internosci possit; hinc accidisse, addit, ut mulier in sempiternum Sacro-Sancti Ordinis opprobrium ad solii Pontificii majestatem evecta fuerit. ap. Jac. Brantmyller. *Manuduct. ad Jus Canon. & Civ. in voce Papa*, p. 274. seq. Istud adhuc obiter noto, legisse me in scriptis Lutheri, locus quidem nunc non succurrit, quod Papissam hanc Herr Pabst Agnese vocaverit. Erat enim jocosus, sæpè etiam

in rebus seriis; quemadmodum similiter, in Epistola ad uxorem Marpurgo scripta, ita alloquitur uxorem suam: **Lieber Herr Keth / & inter alia addit: wir seynd noch alle frisch und gesund / und leben / wie die Fürsten. Küßt mir Lenzgen und Hänßchen.** Extat in *Monumentis Virorum Illustrium*, part. 2. p. 39. Non equidem juravero in Originationis hujus veritatem aut certitudinem; anfan tamen præbet Paroemia in ipsam relationem de imberbi hoc Papa, seu Papissa inquirendi, & quidem loco forte non inopportuno, dum Moguntia natam eam Centuriatores Magdeburgenses, *Cent. 9. c. 20.* Carion, *Chron. L. 3.* Francisc. Junius, *Controvers. L. 3. c. ult.* aliique referunt. Michael Stiefelius ita de ea cecinit:

*Mulier Agnes fit Papa Johannes,
Meretrix illa Agnes ac Johannes:
Johannes octavius regnat.
Ecce regnat mulier Moguntina,
Illa Papatum orbis designat.
En meretrix pessima Romana.
Meretrix lilia maxima mundi,
Meretrix Regum revelanda.*

ap. Serarium, *Moguntiacar. L. I. c. 41.* Jam, quod rem ipsam attinet, cum quaestio facti sit, an unquam talis Papissa in solio Papali sederit, & infantem Romæ peperit, facta autem, fide dignis & idoneis testibus sint probanda, videbimus, an talium, quod vel maximè negant Adversarii, copia in medium adduci possit. Ante autem, quam eò progredior, rem, prout gesta narratur, summatim recensebo. Commemorant Historiographi, foeminam, Agnetem alias dictam, dein, dum
Papa

Papa fieret, Johannem in ordine IIX. A. 854. Imperante Lothario, Ludovici Pii filio, post obitum Leonis IV. in Romana sede collocatam. Hæc mulier, sexum habitumque virilem ementita primò in Monasterio Fuldensi, postea cum monacho quodam amasio Athenas profecta, Professores bonarum artium sub veste monachali audivisse, & in literarum cognitione eò usque profecisse dicitur, ut ibi artes liberales, inprimis Rhetoricam, magno cum applausu docuerit, tantamque sibi auctoritatem conciliarit, ut, cum Leone mortuo successor quæreretur, communibus plebis & cleri suffragiis, Imperatorisque assensu Pontifex designata fuerit. In hoc Pontificatu tandem à familiari quodam Capellano, sexum ejus cognoscente, compressa & prægnans effecta, cum in solennem quandam processionem egressa esset, repente abortis partus doloribus, in via publicâ peperisse, ibique extincta, & sine ullo honore sepulta dicitur, postquam annis duobus, mensibus quinque, & diebus quatuor in Pontificio throno regnasset. In hujus facti memoriam eo loco Senatus populusque Romanus marmoream erexisse statuam, (vid. Blanck, in *Roma triumphante*, c. 7. p. 91.) ac Pontifices, ad detestandam facinoris spurcitiem, vicum illum in processionibus declinasse, & Cardinales, ne deinceps simili labe Cathedra Petri conspurcarentur, sellam perforatam, ex Porphyrio lapide, cui novus Pontifex insidere jussus ad explorandum sexum, extruxisse perhibentur. Conrad Decker, *Affert. de Papa Johanne IIX. Oppenheim, MDCXII.* Conf. Laurent. Banck, *l. c. c. 7. & c. 17.* quò ultimo locò non solum effigiem istius sellæ exhibet; sed &, tanquam rem verissimam, refert, eandem in Basilicâ Lateranensi adhuc asservari, multoties

à se aliisque visam. p. 387. Jam porrò testes produ-
 cendi veniunt, qui non fabulam, sed veram esse relationem,
 quam de Johanna Papissa vidimus, uno ore confirment.
 Antiquissimus inter hos est *Ranolphus Flaviacensis*, Mo-
 nachus Benedictinus, qui in *Polychronico*, L. 5. c. 32.
 primus hanc Pontificalis puerperii historiam commemorat, à
 superioribus verò scriptoribus propter deformitatem facti omis-
 sam fatetur. Vixit, Trithemio teste, A. 930. adeò, ut
 hocce puerperium ab iis accipere potuerit, qui istius
 spectatores ipsi fuerunt.

Secundus Testis est *Marianus Scotus*. *Anno Domini*,
 inquit, 834. anno *Lotharii XIV.* successit *Leoni Johanna mu-*
lier, annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. ap.
Pistor. Scriptor. rer. German. Tom. I. p. 442. Fuit hic Mona-
 chus *Fuldensis*, Benedictinus, & cum ob pietatem, tum
 ob insignem eruditionem à Trithemio admodum lauda-
 tur. Natus fuit A. 1028. potuitque hanc Historiam vel ex
 seniorum relatione, vel superiorum Scriptorum relictis
 monumentis cognitam habere & describere.

Tertius est *Sigebertus Gemblacensis*, qui, fama est,
 inquit, hunc Johannem faeminam fuisse, & uni soli familiari
 tantum cognitam, qui eam complexus est; & gravida facta
 peperit *Papa existens*; quare eam inter Pontifices non nume-
 rant quidam. Ap. *Pistor. l. c. p. 565.* Fuit & hic vir egre-
 gius, Monachus *Gemblacensis*, Ordin. *Benedicti*, qui
Heinrici IV. Imperatoris temporibus A. 1110. claruit, teste
 Trithemio. Mordent ista testimonia Pontificios quos-
 dam Scriptores, ut, licet luculentissima sint, tamen eo-
 rum existentiam vel veritatem supprimere & impugnare
 non vereantur. *Bellarminus*, L. 3. de *Rom. Pontif. c. 24.*
corruptos Marianum & Sigebertum adserit; in antiquissimis
 Manu-

Manuscriptis nullam Johanna reperiri mentionem. Enim-
 verò dicere non sufficit, ubi probationibus opus est.
 Producere debuisset Bellarminus antiquissimos istos
 MSCtos Codices. Sanè de Mariano testatur Baronius,
non tantum in impressis autoribus inveniri Johannam fœminam,
sed & in MSCto Codice, ex quo prima editio prodiit, Annal.
Eccles. ad A. Ch. 853. Corruptos tamen, inquis, Bellar-
 mine, Marianum & Sigebertum? A quibus, quæro?
 Ab hæreticis, sine dubio respondebis. Largior id qui-
 dem facilè, sed à quibus? Forte ab Evangelicis, quos
 pro hæreticis habes. Id verò nemini sanæ mentis ho-
 mini persuadebis unquam, dum multis ante seculis,
 quàm Lutherus Evangelii doctrinam restauravit, isti Co-
 dices conscripti fuerunt, & qui in nostrorum manibus
 sunt, nullò vel mutationis, additionis, expunctionis,
 rasuræ, verbo, corruptionis vitiò laborant, sed ubique
 antiquo caractere, prout à vestræ religionis hominibus
 compositi, integrè adhuc sibi constant. Taceas ergò
 de hoc, neque nobis imputes, quod vobis in more po-
 situm est. Extant apud me Pistorii *Scriptores Rerum Ger-*
manicarum, quò opere hoc plus satis testatum facere
 possum. Possessor enim Pontificius non solum integris
 foliis eum librum mutilavit, sed & atramento superin-
 ducto delevit, quæ ingrata & adversa videbantur. Fa-
 ctum id non solum in Mariani & Sigeberti de Johanna
 Papissa narratione, sed & pluribus aliis in locis, præci-
 pue Tomò secundò, in Mutii *Chronico Germanico*, quin & in
Indicibus; peractoque egregio facinore, tanquam re benè
 gestâ, in frontispicio operis hæc apposuit: *Expurgati*
Tomus ab omni labe, quare cave inter hæreticos reponas. Et
 alibi: *Damnatus quidem, & hætenus prohibitus, nunc cum*
factâ

factâ expurgatione permissus. Ego verò, dum hæretico integros Libros legendi licentiam datam putarem, tentavi, annon labem hoc modo aspersam emaculare, & sordes illas iterum eluere possem. Sumsi igitur chrysulcam, lympa paulisper temperatam, eam illevi corruptis locis, successit consilium, & deletò atramentò literæ impressæ denuò prodierunt. Sic ars deluditur arte, & indè apparet, cautelam istam non sufficere, nec satis tutò adhiberi ab iis, qui tali modo *atritate*, ut Plauti verbo utar, replere veritates conantur. Hæc quoad Bellarminum sufficiant. Aliis rationibus rem impugnat Baronius, Cardinalis, *Annal. Eccles. ad An. 853.* Cùm Marianum de Johanna traditionem literis consignasse negare non possit, eò se vertit, ut dicat, Mariani, & quidem primi Autoris, purum putum id figmentum esse, in odium & ignominiam Sedis Pontificiæ tum temporis excogitatum, *cùm Henricus V. Imperator, schismate cum suis ab Ecclesia Catholicâ descivisset, & cùm promulgatò à Gregorio Papa VII. adversus Clericos concubenarios Decreto, complures ex illis delegerint expelli potius ab Ecclesiâ, quàm concubinas expellere.* At verò primò falsum esse, quod Marianus traditionis hujus Autor sit, ex præcedentibus patet. Deindè tam audacter rem in *fabulam* convertere non est Baronii, nisi evidentissimis, queis tamen destituitur, argumentis id probet. Et, quid porrò schisma ad fidem Mariani infringendam? Sanè ex opere ejus chronico apparet, Gregorianas potius partes, quàm Casareanas eum tutatum, quin potius Papæ, præter omne ejus meritum, ubique honorificam mentionem fecisse. Marianum denique concubinas aluisse, & propterea Gregorio, quod eas prohibuit, succensuisse, eaque

eaque de causa fabulam adeò pudendam, Pontificiæque
 sanctitati ac dignitati contumeliosam in literas redegisse,
 ecquis soli adserenti, nihil probanti Baronio crediderit?
 Sed ad alia se convertit Cardinalis, cum hæc non proces-
 sura videat. Confundi, ait, relationes. *Ivisse quippè*
eo ipso tempore famam, ac si in Sede Constantinopolitana *fœmi-*
na Patriarchatus dignitatem gesserit; hanc convertisse Schi-
smaticos in Romanam Ecclesiam, & inde deceptum Marianum
rem scripsisse, prout vulgò narratam audierit. Et cum his
 etiam se parum effecturum viderit Baronius, alia via rem
 aggreditur. *Fortasse, instat, id fama vulgatum, quod Mi-*
chael Imperator, licet per ludum, unum ex Cynædis suis, Gryl-
lum videlicet, fecerit Constantinopolitanum Patriarcham, qui
cum aliis Cynædis, Episcopis pariter nominatis, obiret Sacra,
aliaque exerceret Pontificia munera. At quis non rideat
 vanos Promachi insultus, quibus veritatem tam mani-
 festam labefactare conatur? Est enim, in quo cordati
 omnes consentiunt, fabula de fœmina in Patriarchalem
 Sedem evecta, in odium Ecclesiæ Græcæ à Romano-
 rum Pontificum asseclis excogitata, quam ipse Leo IX.
 in Epistola, c. 23. ad quam Baronius provocat, pro tali
 habuit. Certè Concilia, & Occidentales ac Latini Scri-
 ptores tam prædigiosum factum reticent. Et, si ex Schi-
 smaticorum cerebro enatus fuisset iste error, annon Pa-
 pæ Sectatores, eam fraudem magno nisu fuissent dete-
 cturi & impugnaturi, id quod tamen à nemine factum.
 De *cynædis* traditio unicum Curopalatem autorem habet,
 &, utut vera fuerit, Mariani tamen ætatem ducentis
 annis præcessit. At, quomodo tam enormiter in trans-
 scribenda hac historia errare potuisset Marianus, ut pro
 Gryllo Johannem, pro mare fœminam, pro Constanti-
 C nopoly

C

nopoly

nopoli Romam supponeret? Denique, ut nihil intentatum relinquat Baronius, quò fides Mariani suspecta reddatur, *corruptum ejus in impresso Codice ab Heroldo locum scribit; cum in MSCto Codice, ex quo prima editio prodiit, ita legatur: Johannes, qui, ut asseritur, fuit mulier.* Enimverò probanda erat Baronio talis corruptio, quæ, cum in facto consistit, non præsumitur. Bellarminus locum planè non vidit; sed hoc oculatior solus Baronius corruptelam loci deprehendit, quæ per tot secula hætenus à nemine fuit observata. Et quid indè lucri Pontificiis, si vel maximè verba in Codice MSCto sic se haberent? Nulla hinc negatio facti; nulla dubitatio rei ita gestæ. *Johannes tamen fuit mulier; & hoc asseritur.* A quo? Scilicet communi voce ac fama; non certè à Schismaticis; quibus fidem habiturus, &, si pro scelerato commento duxerit Marianus, Historiæ suæ inserturus non fuisset. Jam porrò, adversus Sigebertum ut aliquid etiam mussitet Baronius, *triginta, inquit, fermè annis post Marianum Sigebertus, & ipse Schismaticus, in suâ Chronographia, eandem describens fabulam, nullâ aliquâ firmâ utitur testificatione, sed incertâ famâ tantum ferri, quod scribit, adserit.* Sanè nihil de Schismate objecit Bellarminus, quod utique facturum eum fuisse vix dubitari potest, si de Schismate suspectum Catholici Sigebertum habuissent. Sed est compendiosa admodum via, ad fidem Scriptoris alicujus elevandam, ubi, licet sine populi suffragio, vel schismaticum vel hæreticum dixeris. Et quæso, quis istius Schismatis, quod tùm temporis Ecclesiam afflixit, autor fuit? Nonne ipse Papa Gregorius VII. quò de gravissimi & cordati ex ipsis Pontificiis Viri sat abundè conquesti sunt. Dum ergò non huic, sed Imperatori,

Hein-

Heinrico IV. in justissima causa Sigebertus adhæsit, perperam à Baronio Schismaticis adnumeratur. Hinc autem illæ lachrymæ, quod Gregorii turbulentum ingenium & hostilia in Imperatorem molimina laudibus non extulit, id quod etiam non potuit; quamvis cæteroque devotissimus religionis Pontificiæ confessor, & observantissimus Sedis Romanæ fuerit cultor. *At, nullâ utitur firma testificatione, sed incertam tantum famam secutus est.* Num quid ergo fama & vox communis planè nihil ad fidem faciendam conferunt? Et, an omnis talis testificatio ex numero probationum ejicienda? Quâ, quæso, fronte *incertam* famam dicere audes Baroni, quæ, cum per omnium hominum ora tot seculis volitarit, scriptis virorum fide dignorum confessionibus nititur? Incerta fama est, quæ certum & idoneum autorem non habet; cui nullæ circumstantiæ comites, nullæ verisimilitudines adminiculantur. Non ita ab his nuda stat relatio de vestra Papissa, quod & ante jam vidimus, & ex proximè dicendis uberius adhuc adparebit. Sed hæc hæcenus de Ranolpho Flaviacensi, Mariano Scoto, & Sigeberto Gemblacensi. Succedit nunc in ordine Testium *Martinus*, cognomento *Polonus*, Pontificum, Johannis XXIII. & Nicolai III. Pœnitentiarius, qui res gestas Pontificum ex Archivis & Bibliotheca Vaticana inquirere potuit. Ita autem de Johanna: *Johannes, natione Moguntinus, sedit annis duobus, mensibus quinque. Mortuus est Romæ, & cessavit Pontificatus mense unô. Hic, ut asseritur, fœmina fuit, quæ, cum puellari atate à quodam amasio suo in habitu virili Athenas ducta fuisset, in diversis scientiis ita profecit, ut nullus ei par inveniretur; adeò, ut Romæ trivium legens magnos Magistros & discipulos haberet.* Et cum in urbe vitâ & scientiâ magnæ
C 2
opinio-

opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per familiarem suum impragnatur. Verum cum tempus partus ignorans de Sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata partu inter Colosseum & S. Clementis Ecclesiam peperit, & postea mortua, ibidem, ut dicitur, sepulta est. Et propterea, quod Dominus Papa semper eandem viam obliquat, creditur omnino à quibusdam, quod ob detestationem facti hoc fiat. Nec ideo in Catalogo Sanctorum Pontificum ponitur, tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti. Concordat hoc testimonium cum prioribus, & præterea intervallum vacantis sedis Pontificiæ adcuratè adnotavit. Non fuit Schismaticus Martinus; non ex odio in Papam scripsit, Paparum cliens; vir doctus & probus, qui seculo XIII. floruit, & tam benè munere suo functus fuit, ut à Papa Nicolao III. Archi-Episcopatum Gnesnensem in præmium acceperit; qui, si fabulam hæc sapere putasset, nunquam rem tam periculosam, & Sedi Pontificiæ, ad cujus dignitatem tuendam vocatus fuerat, ignominiosam, sine ulla hæsitazione literis prodere fuisset ausus. Vid. de Martino Simon. Starovolscum, de *Scriptor. Polon. in hac voce.* Quid ad hæc Bellarminus? Primum eum esse, ait, qui hæc, & quidem ex incerto rumore scripserit, & fuisse quadringentis annis posteriorem illò fictò Johanne IIX. Virum esse simplicissimum, & permultas alias fabulas enarrasse. Enimverò vix responsione dignæ sunt hæc nœniæ, cum eam ferè ex superioribus accipiant. Simplicitas perperam viro tantis dignitatibus admoto objicitur; quem judiciò non minus quam doctrinâ polluisse loquuntur, præter *Chronicon*, plura ejus scripta, à Gesnero, *Bibliothec. Universal. Tom. I. in voce. Martinus, fol. 505. b.* aliisque recensita. Licet etiam quædam à vero aliena scriptis

scriptis

scriptis suis forte inseruerit, ut hoc oculatissimis etiam accidere potest; certè tamen in hac relatione de Johanna tam facile decipi non potuit, cui à tot seculis, nemine istis temporibus contradicere auso, tanquam rei satis compertæ, in apurum positæ, & certissimæ fides habita fuerat.

Succedit in ordine Testium Franciscus *Petrarcha*, Martini Poloni coætaneus, qui in Chronico Italicè scripto, & Florentiæ A. MCCCCLXXIX. excuso eadem planè, quæ Polonus, de Johanna commemorat. *Johannes*, inquit, tenuit Pontificatum annos duos, menses quinque, dies quatuor. *Vacavit Ecclesia mensem unum.* Iste non ponitur in Catalogo Papparum, quia fuit fœmina, quæ in adolescentia à quodam suo amatore habitu virili ducta Athenas, ibi diversis scientiis studendo evasit excellentissima. Deindè cum venisset Romam, in tantam adscendit claritatem, ut admirationi esset omnibus. Unde concorde suffragio supremus ei honor Pontificatus est attributus. Quæ res postmodum se prodidit. Floruit hic insignis Philolophus, Orator atque Poëta seculò XIV. Romæ, probis omnibus tantoperè dilectus, ut etiam Purpura ipsi oblata feratur; quam tamen ob Aula Pontificiæ mores corruptissimos despexit. Id certum est, in Epistolis eam *Babylonem*, meretricem, matrem omnium idololatrarum & scortationum, asylum heresum & errorum vocasse, Ep. XX. & subindè in Epistolis suis multa de Pontificum, Cardinalium, Episcoporum totiusque Curia & Urbis Romanæ, quin & Avinionis flagitiis magna cum *περὶ τῶν* Petrarcham scripsisse; vera tamen, & talia, quæ ipsi cordatiores ex Catholicis nec negare, nec impugnare auderent. Unde haudquaquam existimandum est, ex odio in Pontificiam Sedem

hæc de Papissâ eum scripsisse, vel pro commento ipsummet Franciscum reputavisse. Bellarminus sanè à partium studio immunem pronunciat. *Fateor*, inquit, *in libris Petrarchæ ea extare, quæ vitia hominum damnant; non quæ Pontificum aut Sedis Apostolicæ dignitatem imminuant, quod ipse testatur Libro II. Senilium Epistolarum, ad Franciscum Brunnum, Pontificis Secretarium, scribens. Nam cum admoneretur, ne tam multa scriberet in Cardinales, aliosque Curia Romana Prælatos, respondit: se non homines, sed vitia hominum insectari, neque id facere, quod sibi nocuerint, sed quia injuriam faciant malè vivendo Urbi Romæ, Ecclesiæ Dei, Christo ipsi & Apostolis ejus Paulo & Petro. Append. ad Librum, de Summo Pontifice, c. XX.* Subjicit deindè magnam dictorum congeriem Bellarminus, ut probet fidem atque cultum Petrarchæ erga summam illam ac Deo proximam Romani Pontificis potestatem. Egregia sanè pro tanto viro apologia, undè eò major etiam ipsi fides tribuenda in ea causa, quâ Scriptoribus superioribus tam liberè suffragatur. Cæterùm de doctrina ejus scriptisque, unde illorum temporum Phœnix cluit, ad Gesnerum, *Biblioth. Tom. I. in voce, Franciscus Petrarcha, p. 254. seqq.* Raphaelem Volateranum, *Comment. L. XXI. p. m. 771.* aliosque plures, in compendio à Jo. Jac. Hoffmanno, *Lexic. Universal. Tom. I. in Petrarcha* exhibitos, Lectorem remitto,

Jungendus est Petrarchæ Discipulus, Johannes Bocatius, Florentinus, ob ingenii, studiorum & morum similitudinem isti intimus. Hic adeò graphicè Papissæ puerperium describit, ut etiam effigiem parientis, & obstetricantes Cardinales atque Episcopos exhibeat, *Libro, de Claris mulieribus, cap. XCIX.* qui in Linguam Germanicam

ver-

versus, A. MCCCCLXXIII. Ulmæ typis antiquis & rudibus, itidem cum parientis effigie, impressus est. Contra duos hosce testes ut etiam aliquid monuisse videatur Bellarminus; *risum vix tenui*, inquit, *cum Petrarcham & Bocatium à morum sanctitate, vitæque integritate laudari vidi. Append. de Summo Pontif. cap. XII.* Si planè tacuisses, Bellarmine, vir sapiens mansisses, & fecisses omninò rectius. Ecceur, ut antè auditum, Petrarcham à pietate, probitate, & maximè à cultu ergà Pontificem, tantoperè commendasti? Num ideò, quod in juvenili ætate amatoria quædam licentiosius scripsit, omnem vitæ integritatem & morum Sanctimoniam perdidit? Et num per id, quod Bocatius juvenis in eundem impegit lapidem, toto vitæ tempore vir probus honestusque esse defuit? Ineuntis adolescentiæ hæc vitia sanè magnis uterque emendavit virtutibus, id quod scripta eorum satis loquuntur, & calculo suo viri optimi adprobant.

Plures testes si quis desideret, ecce nubem eorum, & quidem fide dignissimorum. Primus merito nominandus est *Otto*, Episcopus *Fringsingensis*, genere & eruditione nobilissimus, quippè qui, teste *Radevicò*, *L. II. de Rebus gestis Friderici, cap. 2.* quatuor Imperatoribus ita conjunctus fuit, ut *Heinrici IV.* nepos, *Heinrici V.* sororius, *Conradi Regis* frater uterinus, & *Friderici I.* patruus esset. Hic in *Libro VII. Pontificum Catalogum* nectens *Johannem* sceminam fuisse memorat.

Huic longo agmine succedunt *Annales Augustani* antiqui; *Wilhelmus Occamus*, *Oper. 90. Dierum, cap. 124.* *Raphael Volateranus*, in *Commentariis* ipsi Pontifici *Julio II.* dicatis; *Platina*, qui *Sixto IV.* à Secretis fuit; *Sabellicus*, *Ennead. IX. L. I.* *Jac. Philipp. Bergomensis*, in

Sup-

Supplementis; Matthæus Palmerius, Eusebii & Prosperi continuator; Wolffius, *Lect. memorab. Cent. IX. pag. 225.* Trithemius, *Chron. Hirsaug. in Vita Luitprandi I. Abbatis*; Joh. Stella, in *Libro, de Vitis Pontificum*; Nauclerus, Kranzius, Rolevingus, in *Fasciculo temporum*; Cæl. Rhodiginus, *Antiqq. Lætion. L. XXV.* Lucidus & Christianus Maffæus, in *Chronicis; Liber Romanarum Indulgentiarum, A. MDXXV.* Romæ editus, in quo Romani ipsi affirmant, *Angelum huic Papissæ uterum gestanti adparuisse, ipsique optionem eligendi pœnam aut temporariam aut aternam dedisse; illam verò pudorem temporarium elegisse.* Deckher. *l. c. p. 429. seq.* Plures vid. ap. Dietericum, *Breviar. Pontif. in Johanna IIX. p. 154. (*)* Uno velut halitu horum omnium testi-

(*) *Plures vide apud Dietericum.*) Apparet ex his à B. Joh. Conr. Dieterico recensitis, & aliis, quos Petr. Megerlinus, *Indic. Historico Chronologic. p. 183.* nec non *Commentar. Chronolog. in Tabulam Mathematico-Historicam, c. XIII. p. 110. seqq.* longo agmine producit, Scriptoribus, insulsissimum esse commentum *Florimondi de Raemond*, non *Senatoris Burdigalensis*, sed Jesuitæ, cujus verum nomen *Ludovicus Richeomus* est, quando is, in Libello Gallicè A. MDXCV. sub titulò: *Erreur populaire de la Papesse* fane edito, & deinceps in Latinum idioma verso, hunc titulum habente: *Fabula Johanna, quæ Pontificis Romani Sedem occupasse falsò credita est, Burdigal.* MDCV. effutire non erubescit: *solos Germanos Johanna meminisse, nullos Francos, Hispanos, Anglos, Italos, Græcos, Judæos in partes venire. C. XVII. §. 5. p. 139. edit. Gall.* Nam laudatus *Academiæ Basileensis Professor Megerlinus*, præter XVII. Germanos, Hispanos VI. Anglos V. Scotum I. Belgas IIX. Polonum I. Hungarum I. Græcos II. & totidem Judæos testes in hac causâ adducit. *l. c. p. 111. seqq.*

Testimonia, ut difflet Baronius, ita audacter adversus eos excipit: *Hosce & alios sine delectu ex primis Autoribus, Mariano scilicet, & Sigeberto hac descripsisse, & suis ipsorum Historiis intexuisse, aliosque alia addidisse, ut mendacia vires sumerent, adeo ut viri etiam pii res majorum persecuti, qua de his invenerint, absque delectu descripserint. Annal. Ecclesiast. ad A. 853.* Sed & frustraneum hunc Baronii impetum esse, cuilibet, non cæcis præjudiciis abrepto, quàm facilimè, ni omnia me fallunt, adparebit. Esto, ex Mariano & Sigeberto reliquos eam narrationem hausisse; numquid ideò in fabulam evadit, quod ex Scriptoribus his aliisque fide dignissimis tot viri, Clericali dignitate potissimum insignes & conspicui, pro vero indubioque habuerunt? Et, quomodo sine delectu posteriores ex prioribus descripsisse dici possunt, dum, in quibus rei cardo vertitur, ea iisdem circumstantiis retulerunt, licet fortè in levioribus, & ad rem parùm facientibus aliqui paullò aliter. Sine delectu exscribere, est indicium hominis aut stupidi aut malevoli. Sed, quâ fronte horum alterutrum testibus adductis imputabis, Baroni? quorum plurimi ob doctrinam, vitæque integritatem incluti erant, & omnes iis temporibus, quæ Sacra Catholica sola vigeant, Sedesque Pontificia superstitione colebatur, rem literis consignarunt. Ecquis talibus vel iudicii defectum, vel mentiendi calumniandive libidinem objecerit, cum multi, ut ante monitum, ex iis ipsorum Pontificum Officiales, Cardinalium familiares, & in clericali dignitate constituti fuerint, quin iis historias suas nonnulli nuncuparint, quod, quâ conscientia facturi fuissent, si de veritate rei tam probrosæ & Romanæ fidei damnosæ atque contumeliosæ ipsi dubitaverint?

D

rint?

rint? *Addiderint alii alia*, quid inde? Num quid ideo statim *mendacia*? Sanè magis & minus rem non variant. Quin & in ipso Sacro Codice sæpè *ἀγιογράφων* unum plus, minus alterum de Salvatoris dictis factisque retulisse deprehendimus. Fortè Testium in præsentè causa productorum unus altero plura scivit; imò fortè uno tempore alicui liberius scribere licuit, quod alio non item alteri, cum tamen eadem cum cæteris per omnia senserit.

Vidimus hæcenus testimonia Virorum fide dignissimorum, adversus quæ cavillationes Bellarmini atque Baronii ne id quidem valent, ut in dubium vocari, multo minus ut adsertorum de Johanna Papissa veritas infringi possit debeatve. Et quid quæso pluribus verbis opus est, ubi præterea *rerum ipsarum* adsunt sufficientia testimonia? Adest sanè *sella* porphyretica, intus perforata, quæ in palatio S. Johannis Lateranensis mansit, eum in finem fabrefacta, ut, ad evitandas in posterum fraudes, quibus ad Pontificatum Johanna adspiravit, Pontificis recens creati sexus exploraretur. Adfuit *statua* Johannæ cum puero, quæ usque ad nostra tempora in eo loco mansit, ubi Papissa peperisse dicitur. Præstò est *mutatio viæ* rectæ, qua olim ex Vaticano ad Lateranum Pontifices transire soleverunt, quamque ex eo tempore, quo Johanna ibi puerum enixa est, studiò declinarunt. Ad omnia hæc & singula habet Bellarminus, quæ excipiat, sed æquè infeliciter, ac superiora testimonia impugnavit. *Tres*, inquit, *ut ex Libro I. Sacrarum Ceremoniarum constat*, *erant sedes lapideæ in Lateranensi Basilica, in quibus novus Pontifex sedebat tempore suæ coronationis. Prima sedes erat antè ingressum in templum, eaque vilis & abjecta, ad quam sedem novus Pontifex primum ducebatur, atque*

in

in ea aliquantulum sedebat, ut per eam ceremoniam significaretur, eum de loco humilimo ad summum locum ascendere. Inde enim illum elevantes canebant illud 1. Reg. 2. Suscitatus de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloria teneat; & hæc causa est, cur ea sedes stercoraria diceretur. Altera sedes erat porphyretica in ipso palatio, & ibi sedebat secundo, in signum possessionis, atque ibi sedens accipiebat claves Ecclesie palatii Lateranensis. Tertia sedes similis erat secunde, nec procul ab ea, atque in ea post paululum sedens tradebat easdem claves ei, à quo ante acceperat, fortè ut eam ceremoniam admoneretur mortis, per quam brevi potestatem illam alteri traditurus esset. De sede ad explorandum sexum nulla usquam mentio. Vid. Deckherum, de Papa Rom. c. V. p. 434. Tanta sanè hæc Bellarmini non sunt, ut eadem facilitate, qua ille protulit, dilui atque dispungi non possint. De sede ad explorandum sexum nulla usquam, ait, mentio. Esto, quod Autorem Sacrarum ceremoniarum de sedis isthuc usu dicere pudor prohibuerit; alii tamen, qui eam apertè referant, iique ex ipsis Pontificiis haud deficiunt. Robertus Gallus, primùm Prælati, dein pietatis studiò Dominicanus factus, qui circa annum 1290. floruit, in *Libro Visionum* expressè ejus meminit. *Duxit me, inquit, spiritus ad Lateranense Palatium, & posuit me in porticum ante sedes porphyrii, ubi dicitur probari Papa, an sit homo masculus.* Laonicus Calchondylas, qui floruit Sec. XV. (***) Pontificis electionem, ut suo tempore obtinuit, describens, ita fatetur: *Ubi suffragia collegerunt Cardinales, & Pontifex fuit declaratus, domi eum continent, explorantes, num reliquis electio placeat.*

D 2

placeat.

(***) Vid. Fabricii *Bibliothec. Græc. Part. II. L. s. p. 474.*

placeat. Pontificem pronunciatum insidere jubent sedili foramen habenti, ut testes ex eo propendentes aliquis, cui hoc muneris injunctum est, tangat, unde adpareat, Pontificem virum esse. Nam constat, mulierem quandam in Pontificatum esse subvectam, quia sexus ignorabatur. Antonius Sabellicus, spectatur, inquit, in Pontificia domo marmorea sella, circa medium inanis, quâ novus Pontifex continuo ab ejus creatione residet, ut sedentis genitalia ab ultimo Diacono attrectentur. *Ennead. 9. L. 1.* Plures, partim antiquiores, partim recentiores, id confirmantes, si quis velit, consulat Laurentium Banck, in *Româ triumphante*, p. 91. & 387. ubi testatur, perforatam hanc sellam in Basilica Lateranensi servari, multoties à se ipso visam. Quibus addi potest Libellus, titulo: *Roma ricercata*, *Ephemer. X. p. 415.* cujus Fioravante Martinelli, Romanum, autorem esse, refert Wagenfeil. *Perâ Scholast. Loculam. III. ad Sec. 9. p. 136.* Porro, ut contra Statuam aliquid objiciat, Bellarminus, *Statua illa*, inquit, *non referebat feminam, nec infantem in sinu gerebat, sed puerum satis magnum annorum multorum.* At fuit *Ethnici* cujusdam Sacerdotis statua, parati ad sacrificandum, cum praeunte famulo. Salva res est, quod statuam confitetur: sed, quaeso, Bellarmine, si talis fuit, qualem praedicas, *Ethnici* scilicet Sacerdotis, cum praeunte famulo, eccur non reliquistis? Eccur nostra aetate eam sustulistis? Inde demum aucta multum suspicio, dum alias vetusta ista *Ethnicorum* monumenta summò studio quaruntur, & maximâ sedulitate adservantur. Ecquis insanos omninò vos credet statuam è medio sustulisse, cujus vel solo adspectu de Johanna Papissa commentum, quale vultis, redargui potuisset? Quis enim imberbem foeminam Sacerdotis habitu representari crediderit;

diderit;

diderit ; quamvis summo Sacerdotio functam Papissam aliquando fuisse in dubium vocari nequeat. Parum ad rem facit, quod *infantem in sinu non gesserit, sed adstantem habuerit sat robustum puerum.* Sufficit de statua & puero ingenua confessio. Fortè non eo statim anno, quo cum puerperio casus contigit, sed, quod verosimilius est, aliquot annis post, ubi jam adolevit puer, statua erecta fuit; & tùm quidem, cum Senatus populusque Romanus Pontificis auctoritatem non tantoperè, ut hodiè quidem, formidaret. Producite in scenam Statuam Pontificis asseclæ, & , fœminæ Papissæ, an verò Sacerdotis Ethnici imaginem referat, integrum bonis viris iudicium relinquit. Denique, quando *contra declinationem à via sic excipit Cardinalis: Cur Pontifices viam illam breviorẽ omittant ad Lateranum proficiscentes, non est in detestationem ullius sceleris, sed quia via illa est angusta & anfractuosa, & proinde incommoda Pontificio comitatui, qui semper frequentissimus esse solet.* Adde, quod, ut Onuphrius testatur, non desunt Pontifices, qui non semel per hanc ipsam viam iter fecerunt. Vid. Deckher. l. c. p. 444. non nisi malam, cui interfuit, causam prodidit. Iterum enim Reum habemus confessorem: *frequentasse antehac Pontifices viam istam, tanquam breviorẽ; sed & impudentem calumniatorem, dum aliam declinationis causam comminiscitur, angustiam scilicet Pontificio Comitatu valdè incommodam.* Aliud Martinus Polonus, Bocatius, Platina, alique Pontificii Scriptores, id quippè, quod verum est, perhibent; scilicet *in sceleris detestationem viæ declinationem contigisse;* quin &, qui utramque viam certius explorarunt, ii falsum esse dicunt, quod de istius viæ angustia & incommoditate Bellarminus tradidit. Audiamus adhuc Wa-

genfeilium, l.c. ita scribentem: *Sciunt, ait, omnes, qui Roma commorati sunt, nihil nos perperam loqui, ipsique Interpretes, ceu vocantur, Romanarum antiquitatum, qui peregrinis, accepto precio, res in Urbe notabiles commonstrant, & verbis declarant, eos in Lateranensis Basilica porticum deducentes, ibi sellam perforatam ostendunt, in qua sessitasse quondam quemque recens electum Pontificem affirmant, ut quidam Diaconorum sexum illius exploraret. Agnoscimus quidem, in desuetudinem abiisse ceremoniam hanc, vel ob rationem, quam his versibus expressit Janus Pannonius:*

Cur igitur nostro mos hic jam tempore cessat?

Ante probat quod se quilibet esse marem; vel potius, citra jocum, quia non, sicut seculis antiquis, imberbi juveni Petri cathedram amplius conscendere datum. Reliquæ Bellarmini & Baronii objectiones, quas in Compendio videre licet apud sæpè allegatum Deckherum, l.c. Cap. VI. seqq. cum solutionem ab eodem acceperint, nos nihil hic addimus, ulteriorem discussionem discursui publico reservantes. Omne, quod putant, machinarum robur in eo consistit, quod Anastasius, Bibliothecarius, Papissæ σύγχερον, Johannam taceat; & chronologia, quoad Papparum successionem, repugnet. At enimverò vanò prorsus conamine agitur. Quod enim ad Anastasium attinet, boni viri paratragœdiant, ut cum Comico loquar, & nonnisi grandia verba, sed inania faciunt. Extabant sanè quondam in Heidelbergensi Bibliotheca Anastasii Codices MSCti duo, in quibus Historia de Johanna legebatur, ceu Illustris Salmasius immortalis memoriæ Viro Joh. Henrico Bœclero, non testatus est tantum, sed & insuper suavem de iis historiam recensuit, quam æquum est omnes, prout à laudato Bœcle-

Bœcle-

Bœclero in librum Commentarium de rebus Seculi post Christum natum IX. & X. relata fuit, cognoscere. Sic verò habet: *Ajebat Salmasius, se Heidelbergæ agente, & incomparabili isti Bibliotheca operam dante, factum esse, ut Moguntini, Anastasium Bibliothecarium edituri, duos Codices MSCt. à Serenissimo Electore peterent, acciperentque. Quibus remissis, adjuncta fuisse aliquot exempla nova editionis, in quibus historia Johannis fœmina, ex MSCt. bona fide expressa erat. Id, cum aliqui mirarentur, apud ceteros ortam suspicionem dedisse occasionem, ut in cetera exempla per officinas Bibliopolarum inquireretur, tum fraudem manifestam fuisse, dum omissa deprehendebantur in omnibus, quæ paucis inserta diximus. Ea de re clarissimæ memoriæ Virum, Marquardum Freherum, epistolam ad Amicum exarasse; quam, in aliquot Bibliothecis reperiri dicebat Salmasius. Addebat: Verba Mariani Scoti (nam is nunc post deperditam aut vitiatam illam Anastasii scripturam, antiquissimus rei autor,) religiose ex Anastasio descripta, id est, ipsissima Anastasii verba fuisse. Quorum dictorum fides, ne in controversiam vocari possit, Vir impense doctus, & inter Pontificiorum Theologorum nostri seculi primarios omninò referendus, Johannes Launojus faciet. Is enim etsi tomi 4. Epistolarum epistola ultima, historiam de Johanna Pontifice inficiatur, tamen non dissimulavit, reperiri nonnullos Anastasii Codices MSCt. qui eam contineant. Quamquam verò hos, illis, in quibus omittitur, recentiores esse vult, tamen, si maximè hoc demus, cum nemo homo de istis Codicibus posterioribus ostendere queat, non fuisse ad exemplar veterum & proborum expressos, haud temerè elevanda est illorum autoritas. Ex Philippo Labbeo nominatim scivimus, in Regio, & Mazarini,*

rini,

rini, (qui Gabrielis Naudæi fuerat) Anastasii MSCt. Codicibus, Johanna Papissæ memoriam reperiri. Indicandum obiter ex Alexandri Cooke assertione, asservare Oxonii in Anglia Bibliothecam Collegii Novi exemplar MSCt. Ranulfi Castrensis, in quo historia Johanna Papissæ, cultro deprehenditur erasa: quin & Lipsiæ, in Ædis Paulinæ Bibliotheca, ostendi Martini Poloni similiter Codicem MSCtum, in quo ea historia est expuncta (***)).

Quando porrò *Chronologia consensum* in dubium vocant Cardinales, atque, in hac causa, eorum Jesuitarumque hyperaspistes, David Blondellus, *Avancees de Johanna Papissa*, non nisi meras nugas agunt, fumumque vendunt. Calculum ipsimet malè posuere, quem, si addendo & subtrahendo curatè examinaveris, subductis rationibus, dolus & falsum ad oculum facilè patebunt. Sed, cum & hisce futilitatibus à Maresio, Spanheimio, & Megerlino, suprà adductis, plenè satisfactum fuerit, actum agere nolo; & si cui victoriæ spes fors prona videatur, in conflictu publico cum eo desuper in arenam sum descensurus.

Dum

(***) *In quo ea historia est expuncta.*) Excerpti hæc ex Wagenfeilio, *l. c.* Addantur Megerlinus, *l. c. p. 114.* Frider. Spanheimius, de *Papa foemina*, §. LV. seqq. & passim maximè p. 28. 174. 190. Maresius, in *Johanna Papissa restituta*, contra Blondellum atque Curcellæum, cui Maresii scripto, A. MDCLIX. edito, insulsum, & sine judicio scriptum, nescio quis lucifuga Censor A. MDCCIII. Judicium opposuit.



Dum volupe est, WEILERE, tibi versare
 pagellas
 Ætatis priscae, quæ multa *enigmata*
 tradit,
 Ingenium studiumque tuum Sapientia laudat,
 Et referabit opes, quas tarda ignavia nescit.

Joannes Christoph. Bielefeld/
 Consiliarius Eccles. Suprem. Superin-
 tendens & Theologus Academiae
 Primarius.



NOBILISSIME atque DOCTISSIME
DN. MARC. CHRISTOPH.
WEILERE,

Fautor atque Amice plurimum Honorande.

Quod ex Praelectionibus meis publicis presen-
 tes Parœmias Dissertationis Academicæ
 argumentum eligere voluisti, rem non mihi
 solum gratam, sed & persona Tua dignam fecisti.

E

Ex

Ex quo enim primum Paroemiarum Specimen
 in lucem protuli, multis precibus à me contende-
 runt Amici, ut in hoc instituto pergerem; id quod
 etiam mecum constitui, dummodo sint, qui &
 deinceps in cathedram disputatoriam mecum ad-
 scendere velint. Sic enim fiet, ut, quod Au-
 ditores mei hic ex me docente hauriunt, id quo-
 que in exterorum notitiam perveniat. Tibi au-
 tem ad existimationem indubiè valet, quod, ex
 quo, relictà Academià Duisburgensi, Almam no-
 stram Ludovicianam accessisti, ut in ceteris bo-
 nis artibus, sic etiam in Historiarum & antiqui-
 tatum Germanicarum studio non proletariam, sed
 exactam scientiam Tibi comparare annisus fueris.
 Quod si igitur eà, quâ cœpisti, industrià fun-
 dum colere perrexeris, de uberrimâ fructuum ho-
 norumque messe Te non solùm, sed & Maximè
 Reverendum DN. PATREM Tuum, cui de
 tam egregio NATO ex animo gratulor, benè,
 imò optimè sperare jubeo. Vale, meum Bono-
 rumque omnium delictum, & rem porrò benè
 gere! Scribebam Gießa, d. XIV. Octobr. Anno,

quò

quò. AUGUSTÆ DOMUS AUSTRIACÆ
Spes Confusa Deo n̄ Vnq̄vā Confusa,
calitus sibi datum, inque totius Orbis Christiani
gaudia natum Juventutis **PRINCIPEM,**
LEOPOLDUM, *obtinuit.*



D Vm sequeris Docti doctus vestigia
PATRIS:
En, **WEILERE,** probant *publica dicta*
fidem.

Scilicet exemplo firmas Prouerbia laudis:
Non procul à proprio stemmate poma cadunt.

Ita Politissimò DN. RESPONDENTI,
Virtutum paternarum haeredi, publi-
cum hocce Eruditionis documentum
ex animo congratulatur

Io. Christianus Langius,
Prof. P. ordin.

*Nuquam narras, cum religione novatum;
Id precor, ut videat maxima cana fides!
Cumque tuus constat Musarum providus
ardor,*

*Antiquum Tibi stat mox decus atque
fides!*

*Ornatissimo, ac clare docto
Dn. Respondenti ita amica
manu adposuit*

*Scilicet exemplo firmas Proceribus laudis:
Io. Georg. Liebknecht,
Math. P. P.*



Ann

E 2

Handwritten signature or note in cursive script, possibly reading 'L. G. Liebknecht'.